

V
5375




191.

D. Adam Rechenberg

De iusta Lutheri reformatione

Vg
5375


RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
REFORMATIONIS
B. LUTHERI,
SOLENNI RITU
IN
TEMPLO ACADEMICO
CELEBRANDUM
INTIMAT,
AC
PROCERES ET CIVES ACADEMICOS
HUMANISSIME
INVITAT.





Mmensa DEI optimi Maximi bonitate atque miseratione factum est; ut doctrina de præcipuis Christianæ nostræ religionis articulis a CHRISTO & Apostolis tradita, sed invalescente & durante Papatu, humanis iisque impiis ac superstitiosis traditionibus contaminata & obscurata, D. Lutheri ministerio, secundum verbi divini analogiam sincere rursus explicaretur, & a sordibus adpersis purgaretur; Pontificiorum vero errores fidei, corruptique mores & abusus cum dominatu Papæ introducto redarguerentur, atque in multis Europæ civitatibus abolerentur. Quantum hoc DEI beneficium sit, illi solum recte intelligunt, qui verbum DEI purum amant, statumque Ecclesiæ sub jugo Papali gementis, ex illorum temporum historia cognitum atque perspectum habent, ac deinde vera Christi Ecclesia Apostolico - Catholica judicare valent. Nam doctrinæ Apostolicæ puritas ad fidem salutarem ingenerandum in divinis literis revelata, post quartum a nato CHRISTO seculum, per humana scita ac traditiones de cultu divino jam inquinari cœperat; donec accedente manifesta idolomania, decretis Pontificum R. multiplicatis, oblitteraretur. Disciplina, quæ in veteri Christiana Ecclesia, sancta atque severa viguit; in licentiam vitæ, cleri præcipue culpa, degeneraverat; ut Christiani non amplius vita & moribus, ceterum olim factum, a paganis discerni possent. Ecclesiæ vero gubernationem, quæ ex institutione Christi & Apostolorum, penes Episcopos & Presbyteros olim doctrina, prudentia & vita inculpata conspicuos fuit, R. Episcopus sibi per varias artes arrogaverat soli, eamque postea in formam regni sacri, sub titulo potestatis ecclesiasticæ commutavit, atque monarchiam novam, quæ sacra dicitur, in orbe Christiano potentissimam stabilivit.

Hæc tria, inquam, mala memorata Ecclesiæ, ante Lutherum quidem multi prudentes sanctique viri animadverterant, & scriptis etiam publicis impugnaverant: at vero ista adeo altas radices egerant, ut humanis consiliis & viribus evelli nequirent: donec mensura istorum malorum impleta, Deus Ecclesiæ misertus, Lutherum velut alterum Moysen excitaret. Hic enim divinus vir, divino auspicio alte-



tantum opus aggressus est, quantum, Imperatores, Reges ac Principes ante conficere nescirent. Quis enim putasset rem a parvinitiiis progressam eo successu gavisuram esse, ut potentissimum Pontificis regnum tot validis innixum fulcris, in multis civitatibus aut concussum aut eversum fuerit? Notum enim est omnibus, ex illo tempore multas Europæ civitates Pontificis Maximi obsequio renunciassent, in sacerdotum Romanorum ordinem, a quo tot malorum origo, inquisivisse, & explosis ante superstitionis falsisque dogmatibus, quæ magnam partem ad commoda sacri istius regni Papalis inventa fuerant, Religionem Christianam ad primævam puritatem, quantum licuit, revocasse.

Aegre hoc admodum Papæ accidit, quod cum ejus imperio sacro abolito, simul bona sacra exuberantia, ad mediocritatem redacta, ad meliores usus a Principibus Protestantibus adplicari cæpissent. Sed tamen Adrianus VI. Pontifex Leone X. cordatior meliorque, culpam, quam Protestantes Status adversus sedem Romanam allegaverant, dissimulare noluit. Nam in mandatis legato suo ad Norimbergensia comitia datis, apud *Lutherum tom. 2. Jenens. Germ. f. 165.* falsus est pro palam: Wir wissen/ daß in diesem heiligen Stuhl/ viel Jahr her/ viel gräuliche Mißbräuche gewest seynd / in geistlichen Dingen / Ubertretungen in Geboten / und daß alle Ding verkehrte sind. Vel ut *Hordleder* von Ursachen des Teutschen Kriegs l. 1. c. 1. fol. 5. n. 15. ex f. 7. n. 23. vertit: Wir wissen wohl / daß ist in diesem heiligen Stuhl viel Ungebührlichkeit / auch ärgerlicher Mißbrauch und Ubertretung in geistlichen Sachen gewest / darum kein Wunder / daß die Krankheit vom Haupt in die Glieder / und von Pabsten in andere Nieder-Prälaten abgestiegen etc. Quo pertinent *Nationis Germanicæ Avisamenta Constantiensia* inscripta ad concilium Constantiense, a. 1416. itemque *Moguntina* de a. 1427. & Imperatoris Sigismundi *Reformatio ecclesiastica* de a. 1440. in *tom. 2. rerum Germ. Freberi f. 373. & tom. 2. Recess. Goldasti f. 119.* novæ querelæ, quæ *Gravamina nationis Germanicæ* appellantur, ac a *Flacio* velut in compendium redacta apud *Hordlederum l. IV. c. 9. membr. 30.* exhibentur.

Ne autem quis ista gravamina de sola collapsa disciplina ecclesiastica corruptisque cleri moribus accipiat; doctrinæ quoque

corruptelas, a quibus Lutherus reformandi initium fecit, Ordines Protestantes, peculiari libro, (*Stattliche Ausführung der Protestierenden wider Pii IV. Papæ concilium*) apud *Hordlederum von Ursach. des T. Kr. l. i. c. 47. f. 667. n. 58. Chytræus Hist. Aug. Conf. p. 610.* & magnus *Gerhardus* noster in *confess. Cathol. l. i. part. 1. c. 4.* item alii luculenter probarunt & demonstrarunt.

Ubi ergo manifesta doctrinæ & disciplinæ Christianæ corruptio & idolomania, cum tyrannica Ecclesiæ gubernatione obtinent; ibi opus maxime reformatione est: ut regnum tenebrarum destruat, Christi vero regnum, in quo fides, spes & charitas prævalent, afferatur, ipsique debitus honor tribuatur.

Et hoc officio Lutherus noster, divino confisus auxilio, cum parastatis suis, magno Ecclesiæ & rerum publicarum, quæ divinam veritatem amant, commodo defunctus est. Nec Romanæ Thaidis basiatores causam illi irascendi justam adferre possunt; quod ab ipso suscepta Reformatione, rectores civitatum, seu Principes Protestantes, pleraque dogmata in usum sacri regni Pontificii inventa proscripserint, simulque numerum sacerdotum & monachorum ad minorem redegerint, suumque civile imperium agnoscere iterum jusserint; exuberantibus quoque cleri R. opibus publicæ necessitati vindicatis, aut in usus meliores scholarum & Ecclesiæ translatis.

Nam quæ causæ illos ad hanc mutationem subegerunt, easdem postea Pontifex R. *Clemens IX.* solenni Bulla, anno 1668. *Super suppressione congregationum Canonorum S. Georgii in Alga Venetiarum ac Fratrum Jesuatorum, & S. Hieronymi de Fasulis Romæ* publicata, tum ratione tum facto ipse adprobavit. Legatur ipsius Bulla & cum rationibus, quas Protestantes pro justitia Reformationis adversus Pontificios attulerunt, conferatur; næ quisque vel mediocri judicio pollens, deprehendet; Protestantes hac in parte haut inique egisse; cum ipse Pontifex similibus rationibus nixus, nominatos ordines reformarit & abrogarit.

Quanquam vero illi etiam Lutheri vocationem ad tantum opus perficiendum, in dubium vocant; negantes, id jure ab eo non legitime vocato fuisse susceptum; sapius tamen a nostratibus ista objectio diluta fuit. Nam Lutherus noster anno 1508. tam ad mu-
nus

nus publice docendi populum in ecclesia Wittenbergensi, quam ad docendam studiosam juventutem in cathedra Academica legitime vocatus fuerat; cum antecedente anno, Dominica cantate, ab ordinario Episcopo Brandenburgico, Hieronymo ordinatus esset. Inde postea die Francisci, anno 1512. Doctor Theologiae renunciatus, juxta jurisjurandi formulam tum praescriptam, inter alia jurato promississet, *vanas, peregrinas doctrinas ab Ecclesia emanatas & piarum aurium offensivas, non dogmatizare, sed dogmatizantem domino Decano denunciare infra octiduum velle.* In juramento autem Licentiandi ante ab eo praestito promiserat: *Juro, me VERITATEM EVANGELICAM pro mea virili defensurum.* Romanae quidem Ecclesiae obedientiam simul promisit, quatenus nempe illa ex S. Patrum (quos scilicet Gelasius Papa *Distinct. XVI.* recenset,) scriptis nota erat: uti Confessio Augustana in *Epilogo artic. XXI.* declamat; at de R. Pontifice ejusque decretis, nil in istis statutis primis Facult. Theolog. Wittenbergensis reperiri, noster Hülsemannus attestatur. Nec enim Episcopus R. est Ecclesia; ut qui huic juramento se obstrinxit, illi simul etiam obstringatur. Praeterea qui *VERITATEM EVANGELICAM pro sua virili defendere* obstrictus est, is etiam ex regula charitatis Christianae obligatur; ut, quando ordo Ministerii est corruptus, sibi proximoque a falsa doctrina caveat, eamque refutet. Atque hoc Lutherus ex sacris literis rectius edoctus constanter fecit. Sic etiam in casu necessitatis Aphraates olim monachus apud *Theodoretum l. IV. H. E. c. 26.* ex deserto Antiochiam venit; ut haeresin Arianam invalescentem confutaret. Qua de causa a Valente Imper. rogatus, *Dic, inquit, quò vadis? Tum ille respondit: Pro tuo regno precaturus. Ad haec Imperator: domi potius, inquit, manere debueras, & juxta monasticam legem intus precari. Cui Aphraates respondit: recte admodum dicis, Imperator. Id ego facere debueram, idque haecenus facere haut destiti, quamdiu oves Servatoris nostri pace fruebantur: nunc vero cum in maximam perturbationem inciderint, & periculum grave immineat, ne a feris diripiantur, omnis via tentanda est, & pecus conservandum.* Dic enim quæso, Imperator, si puella essem intus in thalamo sedens, & curam ædium gererem, ignemque ædibus immissum & paternam domum flagrantem viderem; quid me tunc agere oporteret? an non potius relicto thalamo -- aquam adferre

Signem extinguere deberem. His auditis, Valens obticuit. Ita, cum canes Romæ dormirent, Olor Wittebergæ veluti munus vigilis strenui obivit, hostemque veritatis Evangelicæ Tezelium primum in Saxonia prodidit; deinde vero eandem contra oblatratores & baubatores strenue defendit, donis quippe a Deo extraordinariis ad id instructus: qualia singularis sapientia interpretandi s. scripturam, rara eloquentia, prudentia, animosa constantia & felix tanti operis successus. De quibus omnibus illius temporis annales abunde testantur. Pontificii quidem oggerunt, ipsum Ecclesia R. cui obedientiam sancte promiserat, exire haut debuisse, multo minus eandem vocare meretricem, cum mater ipsius fuisset.

Enimvero Lutherus R. Ecclesiam, quatenus ex Sanctorum Patrum scriptis nota & veritatem evangelicam amplexa est, non deseruit; sed illam, quæ idolomania & hæresi post orthodoxorum Patrum ætatem sensim infecta fuit, atque capitales errores in synodo Tridentina postea sancire & confirmare ausa est; quod ante illam nondum fuerat factum; etsi jam in eam dormiente vel torpente clero successive irrepsissent. Equidem R. Ecclesiam olim fuisse multarum ecclesiarum particularium matrem, negari nequit: verum cum illa postea, ut olim Israelitica Hof. II. scortari cœpisset, meretrix ingens facta est, de qua Johannes *Apocal. XVII.* vaticinatus est. Cur ergo ipsam non debito nomine appellare liceat? At illi occlamant, Lutherum ex recenti Ecclesia R. exiisse, quam meretricem vocasset; igitur eum oportere spurium esse. At vero Johannes Baptista & Christus ipse in Ecclesia judaica, quæ spirituali scortatione jam infamis erat, circumcisi fuerant; & tamen illam quoad falsæ doctrinæ assensum deseruerunt ac reprehenderunt. Cypriani igitur hic distinctio inter *rem Dei, & hominum* locum habet. Verum quippe est, quod Lutherus per Baptismum in Pontificia ecclesia susceptum, hoc respectu, ecclesiæ R. filius factus sit; non tamen quatenus illa scortatrix fuit, sed quatenus Patris Ecclesiæ spiritualis conjugii symbolum, h. e. Baptismum, quoad substantiam retinuit integrum, ex quo renatus & in filiorum Dei spiritualium numerum cooptatus est. Quapropter inter maternitatem *naturæ & Spiritus* magna differentia est, quam Pontificii hic confundunt, aut ultra rationem similitudinis seu comparationis vo-
ca-

cabula *meretricis & matris, genuinae prolis, & spurii* extendunt. Mater enim spiritualis, quando mœchari incipit, aut meretrix fit, vinculum rumpit connubiale, & vera conjux mariti esse desinit. Salva igitur natalium honestate filii, quæ mater ejus fuit, meretrix vocari potest. Præsertim cum in tali casu patris potius quam matris respectus haberi debeat. Imo Christus patrem & matrem deserere jubet, si filium a fide & obsequio Patris cœlestis abstrahere volunt. *Matth. X, 37. c. XIX, 29.* Sane Hoseas *c. II, 2. 5.* prolem, matri Ecclesiæ Israeliticæ scortationem exprobrare eamque meretricem vocare jubet. Quis ergo Luthero exprobret, quod matrem, Ecclesiam R. ob scortationem, meretricem appellarit, eamque ideo impugnavit, ac deseruit.

Nos igitur cum Luthero & genuinis ejus asseclis, magnam illam meretricem fugiamus, & caveamus; ne participes peccatorum ejus fiamus, atque ex plagis ejus, quæ instant, accipiamus, *Apocal. XVIII, 4.* Multi sane in nostra Ecclesia sunt, qui veritatem evangelicam quidem profitentur, sed factò & vita abnegant. Unde enim tot circa illam dissensiones & pugnæ? unde turbæ & ex illis secundala ac scelera, quæ orthodoxiæ jactatæ zelo velari solent? Veritas quidem Evangelica tum in libris nostris symbolicis, tum in Lutheri & multorum aliorum sanorum doctorum Scriptis loculenter exposita prostat; at vero etiam multa maledocti eandem, cum explicanda est, vel non intelligunt, vel malitiose in perversos sensus detorquent, ut litigandi magis, quam docendi veritatem, habeant materiam. Ubi sane opus est nova errorum reformatione & emendatione, quam leges Ordinationum & Visitationum ecclesiasticarum publice requirunt. Nec in hac parte desunt veterum *γυναικας* Lutheranorum ac prudentum Theologorum juxta ac Christianorum Politicorum consilia, quibus vulnera ista Ecclesiæ nostræ sanari possint ac debeant: ut divinum Numen nobis propitium reddatur, nec bonum hoc incomparabile in justissimam poenam iterum auferatur. Quotus vero quisque est, qui illa salutaria consilia attendit, aut de eorum adplicatione serio cogitat? Multis enim persuasum est, talia consilia esse nova, aut intempestiva & non nisi turbas in ecclesia paritura. At Erasmus Sarcerius, David Chytræus, Balthasar Meisnerus, Gerhardus, Joh. Val. Andreae, Paulus

Tar-

15 5375
Tarnovius, Keslerus, Glassius, Nic. Hunnius, Dorscheus, Dannhae-
rus. P. Røberus, Kortholdus, Hartmannus, & multi alii saniores
Theologi non fuerunt novi homines, qui de rebus, quas parum in-
telligunt, judicium præcipitare solent; nec imprudentes Politici
censendi, Forstnerus, Brunnemannus, Seckendorffius, Fritschius,
Schilterus & alii, qui reformandi & emendandi Ecclesiæ nostræ sta-
tum, consilia itidem suppeditarunt, quæ hic allegare chartæ angustia non per-
mittit. Turbæ inde orituræ, quæ timentur, consopiri possent; si res hæc ardua
prudenter a viris idoneis piisque invocato divini Nominis auxilio tractetur.
Et nunquam magnum aut pium opus sine turbis peractum est. Quot enim tur-
bas Prophetarum reformatio in Ecclesia Israelitica & judaica, Christi & Apo-
stolorum reformatio, quot turbas Evangelica doctrina a Luthero per reforma-
tionem asserta excitarint, omnes historiæ non imperiti norunt. Ob perversos
interim hominum mores aut pertinaciam, vel intercurrentes Fanaticos id, quod
necessarium est, in Ecclesia non intermitteri debet. Facebant Fanatici, facebant
declamatores, qui nulla amplius post Lutherum opus esse Ecclesiæ reformatio-
ne dictitant, aut impudenter eos novis schismaticis nominibus confictis per-
stringunt, qui meliorem Ecclesiæ statum desiderant, aut forte illi emendandæ
manum admovent. Hoc studiū stolido vocabulo, *Reformatismum* illi appellant.
Sed Deus, qui sanctissimus est, se irrideri haut patietur. *Galat. VI, 7.* Nec impu-
ne ferent, qui sanctificationem Nominis sui, quam quotidie precamur, impe-
diunt, aut præfracte contemnunt. Si Ecclesia nostra in latitudine sumpta, qua-
tenus quoad societatem externam, improbos & hypocritas juxta *artic. VIII. A.*
Confess. complectitur, nulla amplius indiget reformatione, pœnitentia ac reno-
vatione vitæ quotidiana, opus haut erit, ejusq; exercitium quotidie frustra incul-
cabitur. Quid enim illa est aliud, quam reformatio vitæ? quæ fieri nequit, nisi
recte simul credatur, & ὑποτύπωσις τῶν λόγων ὑγιαίνόντων in verbo Dei re-
tineatur, sancteque vivatur: ut Deum per Christum habeamus propiti-
um; ne nos visitet in ira sua, ac justis pœnis vitilitigationes sine tractatione &
exercitio pœnitentiæ, ut comminatus est, ulciscatur *Gal. V, 15.* Ansam hæc ulteri-
us meditandi & Evangelio dignam vitam agendi, cras, Deo dante, diserta ora-
tione, de *perpetua Christianorum Jubileo per POENITENTIAM celebrando*, Vir-
Jüvenis eruditione ac morum probitate insignis M. JOH. CHRISTIAN ALL-
BRECHT, Altenb. Misn. in Templo Academico, quod Paulinum vocatur, finitis
sacris matutinis, suggeret. Quapropter omnes civitatis nostræ Proceres ac cives,
qui veritatem Evangelicam & studium pœnitentiæ quotidianæ a Luthero
subinde inculcatum amant, ea, qua par est, humanitate rogamus; ne laudatum
jam oratorem auscultare, ac Deo pro redonata Evangelii luce gratias agendo,
exorare eum simul, ut illam nobis servet puram ac illibatam, graventur.

P. P. pridie Cal. Nov. A. CHR. MDCV.

LIPSIÆ, Literis CHRISTOPH FLEISCHERI.

M.C.

haue-
niores
um in-
olitici
schius,
ræ sta-
on per-
c ardua
actetur.
nim tur-
& Apo-
forma-
erverfos
d, quod
acessant
rmatio-
tis per-
ndandæ
pellant.
c impu-
, impe-
ta, qua-
VIII. j. A.
e reno-
ra incul-
quit, nisi
o Dei re-
propiti-
ione &
c ulteri-
erta ora-
ndo, Vir-
N ALL-
ur, finitis
ac cives,
Luthero
udatum
agendo,
ntur.

ULB Halle

3

004 958 055



Von







logiam sincere r
 tur; Pontificioru
 usus cum domin
 tis Europæ civita
 cium sit, illi sol
 amant, statumq
 temporum histe
 de vera Christi
 Nam doctrinæ A
 dum in divinis
 seculum, per hu
 quinari cœperat
 Pontificum R. i
 veteri Christian
 vitæ, cleri præci
 plus vita & mor
 Ecclesiæ vero gu
 stolorum, penes
 & vita inculpata
 arrogaverat soli,
 potestatis eccles
 quæ sacra dicitur

Hæc tria, in
 dem multi prude
 iam publicis imp
 ut humanis conf
 rum malorum in
 alterum Mosen



i bonitate at-
 ; ut doctrina
 træ religionis
 ostolis tradita,
 apatu, huma
 osis traditio-
 ta, D.Lutheri
 i divini ana-
 erfis purgare-
 mores & ab-
 atque in mul-
 e DEI benefi-
 DEI purum
 s, ex illorum
 bent, ac dein
 dicare valent.
 n ingeneran-
 o CHRISTO
 vino jam in-
 mania, decretis
 olina, quæ in
 in licentiam
 iani non am-
 cerni possent.
 hristi & Apo-
 na, prudentia
 r varias artes
 eri, sub titulo
 iam novam,
 abilitavit.
 utherum qui-
 , & scriptis et-
 dices egerant,
 mensura isto-
 utherum velut
 vino auspicio
 alte-